320
318
324
314
329
309
369
269
419
219

multi perierunt, de quo omnes veteres mentionem faciunt dicentes, quendam Deucalionem solum cum Pyrrha conjuge in navicula evasisse et in Parnassum devenisse montem, et cum jam aquae cessassent, et oraculum Themidos consuluissent pro reparatione humani generis, jussi sunt tecto capite solutisque vestibus posttergare saxa, tamquam magnae parentis ossa, et ea in homines foeminasque conversa. Hoc figmentum sic explicatur: superveniente aquis homines territi ad suprema montium fugerunt et cavernas et antra petierunt finem exspectaturi. Ad hos cessantibus aquis Deucalion et Pyrrha uxor ejus in moesto habitu accesserunt et aquarum cessationem nuntiaverunt sicque eos e verticibus montium (b) atque ex saxeis antris eos in terrae habitationes reduxerunt; et ideo dicitur Deucalion humanum genus ex lapidibus reparasse, quia ex cavernis et antris montium uti lapides educti sunt, quorum Deucalion rex factus est.

Est alius Macedoniae mons, Pieria dictus, cui maximum auri pondus ab antiquis imperatoribus fuisse positum fama fuit, ex quo quatuor locis ab imo apertus est, et ex imo ferunt per planum aurum concrescere. In hanc regionem venit Cadmus, fundator urbis Thebe Boeotiae, de qua talis recitatur fabula. Cum rapuisset Jupiter Europam, filiam Agenoris, modo dicto supra Fol. 178., Cadmus raptae frater missus a patre ad quaerendum eam, hac ei indicta lege, ne absque ea reverteretur in patriam. Qui sumtis sociis, cum, quorsum quaereret, ignoraret, novas sibi acquirere sedes statuit, ingressus autem Macedoniam non longe a Parnasso monte applicavit, ibi autem consulto oraculo et habito reponso, ut bovem sequeretur indomitam et ibi sedem suam locaret, qui in destinatum sibi locum ductus ibique consedit et locum Boecias a bove nominavit, et ibi Thebas boecianas construxit, et literas ibi et apices adinvenit, quibus omnis Graecia utitur, et primas lapicidinas adinvenit et auri ac metallorum conflaturam.

In illa Macedonia est etiam regio Attica, cujus principalis civitas fuit Athenarum vel Athenae, nutrix et nidus quorumdam philosophorum et mater litterarum, quo nihil habuit Graecia clarius, nihil nobilius. Hanc civitatem cum Cecrops aedificasset, certamen fuit, quo nomine vocaretur, et dato judicio, ut Neptunus et Minerva terram ambo percuterent et ad cujus percussionem

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;